

ALBERTVS PIGGIVS THEOLOGVS.



Albertus apud Belgas Cāpis natus anno cir-
citer 1495. Is cū felici ingenio esset præditus, li-
beralibus artibus et in primis Mathematicę operā
dedit, & magnam eruditioñē sibi cōparauit. Inde
Theologie incubuit, et eius facultatis Doctor crea-
tus fuit. hinc factū ut Traiectensis ecclesiæ canoni-
cus electus sit. In eo loco ingenij sui uim declara-
uit, & suis uigilijs & lucubrationib. omnibus inno-
tuit. scripsit enim de æquinoctiorū solsticiorū in
uētione. Itē de ratiōe Paschalis celebrationis, de cō-
restitutione Ecclesiastici Kalēdarij ad Leonem
pontificē. Astrologiā quoq; defendit, & Progno-
sticatores reprehēdit. Postea quoq; de Hierarchia

Ecclesiastica contra Lutherū scripsit, atq; de cōtrouersijs in comitijs Ratisbo-
nēsibus, & de cōponendis diſſidijs librū edidit. Quin etiā cum Lutheranis ali-
quoties in comitijs disputauit, & Roman. Ecclesiā cōstanter defendit. Hac ra-
tione contigit, ut Albertus apud oēs in magna autoritate esset. Cū hoc modo
in medio studiorū cursu esset, 1543 immatura morte obiit, & honorifice sepul-
tus fuit. Anon.